

Cur mutato die septimo christiani prima die
celebrant sabbatum?

Iudei mandato Dei celebrarunt sabbatum die septimo, qui est dies Saturni,
vt vulgo nominatur, propter memoriam creationis rerum omnium. Sed apostoli et horum discipuli, propter memoriam resurrectionis Christi et vt ostendebant exemplum christiana libertatis in abrogandis ceremonijs pertinenteribus ad politiam Mosaicam elegerunt primam diem, quae vocatur dominica seu dies solis abolitis simul ritibus sacrificiorum, quae apud Iudeos vsitata fuerunt.

5

10

[22:] Dic quartum^a praeceptum.^b

Honora patrem tuum et matrem tuam, vt sis longaeuus super terram.⁴²

Quid significat „honor“?

Verus honor est comprobatio rei cuiuscunque tribuens ei praestantiam et reverenter se ei subijciens propter diuinum aliquod bonum. Est enim fundamentum honoris, bonum aliquod diuinum in re aut persona aliqua. Gradus vero honoris sunt: primum honesta opinio in mente de persona aut re, quod diuinitus ordinata et per se bona sit, secundo vera cordis subiectio et officia externa, quibus ostendimus nos venerari ordinem diuinum.

15

Quid complectitur appellatio patris et matris?

Parentum appellatione comprehenduntur primum ij, a quibus ortum et originem secundum naturam ducimus. Deinde omnes, qui nobis sunt loco parentum et in nos imperium ex superiori potestate tenent, vt praeceptores, magistratus, patresfamilias, tutores, [23:] curatores etc. Bonus enim gubernator a bono patre non differt.

20

^a IIII.: D, E, F, G.

^b Holzschnitt: Sem und Jafet bedecken die Blöße ihres betrunkenen Vaters Noah (Gen 9,20–27): B.

⁴² Vgl. Ex 20,12; Dtn 5,16.